



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VII. Viginti & vnum Decreta de generali emendatione. Patrum de
ipsis iudicia, & eiusdem Seßionis prorogatio in diem posterum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

ita imitati sunt Granatensem, qui se maiori parti remiserat. Apud sanè ratio ad conscientiam simul ac reuerentiam illàsam seruandam, & ad suam sententiam dedecoris periculo subtrahendam.

1563.

C A P V T VII.

Viginti & unum Decreta de generali emendatione. Patrum de ipsis iudicia, & eiusdem Sessionis prorogatio in diem posterum.

E piscopus operatus Sacris, legit continenter post Decreta de Regularium disciplina, Decreta de vniuersali emendatione, quæ vnum supra viginti fuere.

I. Optandum est, ut ij qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad diuitias aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamq; facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac celestem patriam cogitantes. Hac cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animaduertat; admonet Episcopos omnes, ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantoperè commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum iubet, ut Episcopi modestâ suppellectili & mensâ ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiarè suæ augere studeant: cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuunt; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causâ: immò, quàm maxime potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosq; carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, tam secularia quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales perti-

N n n n n 2

1563. pertinere decernit: quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem cum vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non is etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplinâ eos fulgere, qua meritò omnium in se oculos conuertant.

II. Cogit temporum calamitas, & inualescentium heresum malitia, ut nihil sit præmittendum, quod ad populorum edificationem, & Catholica fidei præsidium videatur posse pertinere. Præcipit igitur sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus alijs, qui de iure vel consuetudine in Concilio prouinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo prouinciali, post finem præsentis Concilij habenda, ea omnia & singula, quæ ab hac sancta Synodo definita & statuta sunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant & profiteantur; simulque hereses omnes, à sacris Canonibus, & generalibus Concilijs, præsertimq; ab hac eadem Synodo damnatas, publice detestentur & anathematizent. Idemq; in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos Episcoposq; promouendi, in prima Synodo prouinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino obseruent. Quod si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit; Episcopi comprouinciales statim summum Romanum Pontificem admonere sub pœna diuine indignationis teneantur; interimq; ab eiusdem communionem abstineant. Ceteri verò omnes, siue in præsentem, siue in futurum beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo diocesana conuenire debent, idem ut supra, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant & obseruent: alias secundum formam sacrorum Canonum puniantur. Ad hæc omnes ij, ad quos Vniuersitatum & studiorum generalium cura, visitatio & reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdem Vniuersitatibus Canones & decreta huius sanctæ Synodi integrè recipiantur, ad eorumq; normam Magistri, Doctores, & alij in eisdem Vniuersitatibus ea, quæ Catholica fidei sunt, doceant, & interpretentur; seq; ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solemnem iuramento obstringant: sed & si aliqua alia in prædictis Vniuersitatibus correctione & reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat, prorelegationis & disciplina Ecclesiastica augmento emendentur, & statuuntur. Quæ verò Vniuersitates immediatè summi Romani Pontificis protectioni & visitationi sunt subiectæ; has sua Beatitudo per eius delegatos eadem, quæ supra, ratione, & prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari & reformari curabit.

III. Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiastica disciplina, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen magnâque circumspectione exerendus est: cum experientia doceat, si temere, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari; & perniciem potius

potius parere quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur; & tunc non aliàs, quam ex re non vulgari, causarum diligenter ac magnâ maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat; nec ad eas concedendas cuiusuis secularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur; sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona aut tempore eas decernendas esse iudicauerit. In causis uero iudicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis, cuiuscumque dignitatis existant, ut quandocumque executio realis vel personalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam desinendo, à censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis ciuilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, per multas pecuniarias, quæ locis pijs, ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque, districtiorem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, siue etiam per priuationem beneficiorum, aliarumque iuris remedia procedere, & causas desinire. Quod si executio realis vel personalis aduersus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia; tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit à censuris abstinendum: sed si dicta executioni facile locus esse non possit, licebit iudici hoc spiritali gladio in delinquentes uti; si tamen delicti qualitas, præcedente binâ saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit seculari cuiilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet; aut mandare, ut latam excommunicationem reuocet, sub prætextu, quod contenta in præsentis decreto non sint obseruata; cum non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus uero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur: sed, si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de heresi suspectum, procedi possit.

IV. Contingit sæpè in quibusdam Ecclesijs uel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri; uel elemosinam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inueniatur, qui uelit huic se muneri subicere; unde depereunt pie testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi

1563.

occafio datur. Sancta Synodus, cupiens hæc ad pios vsus relicta, quo plenius & vtilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, vt in Synodo diocesana, itemq; Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspectâ, possint pro sua conscientia in predictis Ecclesiis, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt.

V. Ratio postulat, vt illis, quæ benè constituta sunt, contrarijs ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta; in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non dérogetur. Idem in prebendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocumque ita constituta fuerint, obseruetur, vt eorum qualitatibus vel Ordinibus nihil in vlla prouisione detrahatur: & aliter facta prouisio surreptitia censetur.

VI. Statuit sancta Synodus, vt in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis decretum sub fel. rec. Paulo III. quod incipit, Capitula Cathedralium, obseruetur, non solum quando Episcopus visitauerit, sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius, contra aliquem ex contentis in dicto decreto, procedat: ita tamen, vt, cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeant, videlicet, vt Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos: de quorum consilio & assensu Episcopus, vel eius Vicarius, tam in formando processum, quàm in ceteris omnibus actibus vsque ad finem cause inclusiue, coram notario tamen ipsius Episcopi, & in eius domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Vnum autem tantum sit vtriusque votum, possitq; alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant: & si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio deuoluatur; & iuxta eam partem, cum qua tertius conueniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur: alijs processus, & inde secuta nulla sint, nullosque producant iuris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia prouenientibus, de qua in Decreto de concubinarijs, & in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, post initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere; seruato tamen in reliquis ordine præmissis. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti ac personarum, delin-

delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, et in choro, & in Capitulo, in Processionibus, & alijs actibus publicis sit prima sedes, & locus quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid Canonice ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum conuocent, vota exquirant, & iuxta ea concludant. Absente vero Episcopo, omnino hoc ab his de Capitulo, ad quos hoc de iure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. Ceteris autem in rebus Capituli iurisdictionis, & potestatis, si qua eis competit, & honorum administratio salua & intacta omnino relinquatur. Qui vero non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, in omnes in causis Ecclesiasticis Episcopo subiciantur: non obstantibus, quoad supradicta, priuilegijs, etiam ex fundatione competentibus, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus sententijs, iuramentis, concordijs, quæ tantum suos obligent auctores: saluis tamen in omnibus, priuilegijs, quæ Vniuersitatibus studiorum generalium, seu earum personis, sunt concessa. Hæc autem omnia & singula in his Ecclesijs locum non habeant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarij, ex constitutionibus vel priuilegijs, aut consuetudinibus siue concordijs, seu quocumque alio iure maiorem habent potestatem, auctoritatem, ac iurisdictionem, quam præfati decreto sit comprehensum: quibus sancta Synodus derogare non intendit.

VII. Cum in beneficijs Ecclesiasticis ea, quæ hereditaria successione imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria, nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu ad beneficium Ecclesiasticum cuiuscumque qualitatis concedatur, nec hætenus concessi suspendantur, extendantur aut transferantur. Hocq; decretum in quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis, ac etiam Cathedralibus Ecclesijs, ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In Coadiutorijs quoque cum futura successione idem posthac obseruetur, vt nemini in quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis permittantur. Quod si quando Ecclesie Cathedralis, aut monasterij vrgens necessitas, aut euidentis utilitas postulet Prælato dari Coadiutorem; is non aliàs cum futura successione detur, quam hæc causa prius diligenter à sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à iure Decretisq; huius sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatibus requiruntur: aliàs concessionem super his factam, surreptitiæ esse censentur.

VIII. Admonet sancta Synodus quoscumque Ecclesiastica beneficia, secularia seu regularia, obtinentes, vt hospitalitatis officium, à sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, prom-

ptè,

1563. *præ benigneq; exercere assuescant; memores, eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. Illis verò qui hospitalia vulgò nuncupata, seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum præcipuè instituta, in commendam, administrationem, aut quocumque titulum, aut etiam Ecclesiis suis unita, obtinent; vel si Ecclesia parochiales, hospitalibus fortè unita, aut in hospitalia erecta, earumq; patronis in administrationem concesserint; præcipit omnino, ut impositum illis onus officiumve administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta constitutionem Concilij Vennensis, aliàs in hac eadem Synodo sub fel. rec. Paulo III. innovatam, quæ incipit, Quia contigit. Quod si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco ubi sunt dicta hospitalia, similes persone, aut perpauca reperiantur; mandat adhuc ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, conuertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire fuerit visum: nisi aliter fortè, etiam in hunc euentum, in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum: quo casu quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus, aut, si id non possit, ipse, prout supra, utiliter provideat. Itaque si prædicti omnes, & singuli, cuiuscumque Ordinis & Religionis & dignitatis, etiamsi laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, ubi viget regularis observantia, ab Ordinario moniti hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, necessarijs, re ipsa obire cessauerint; non solum per Ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia ad id compelli possint; sed etiam hospitalis ipsius administratione curæ perpetuò privari possint; aliq; eorum loco ab ijs, ad quos spectabit, substituantur. Et prædicti nihilominus, etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quæ nullâ eis remissione aut compositione indulgeatur, in foro conscientie teneantur: nec administratio seu gubernatio huiusmodi locorum uni & eidem persone ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperitur: non obstantibus quoad omnia prædicta, quacumque ratione, exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegij, aut indultus quibuscumque.*

IX. Sicuti legitima patronatum iura tollere, piaq; fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: sic etiam ut hoc colore beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod à multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta Synodus, ut titulus iuris patronatus sit ex fundatione, vel
dota.

dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requisitis ostendatur; siue etiam ex multiplicatis presentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliâsve secundum iuris dispositionem. In ijs vero personis, seu Communitatibus, vel Vniuersitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quesitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria, presentationes, etiam continuata, non minori saltem quàm quinquaginta annorum spatio, que omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficijs, tam secularibus quàm regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque alijs beneficijs, in cathedrali vel collegiata ecclesia; seu facultates, & priuilegia concessa tam in vim patronatus, quàm alio quocumque iure nominandi, eligendi, presentandi ad ea, cum vacant, exceptis patronatibus, super cathedralibus ecclesijs, competentibus, & exceptis alijs, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes, iura Imperij in dominjs suis habentes, pertinent; & quæ in fauorem studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata & irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur. Beneficiaq; huiusmodi, tamquam libera, à suis collatoribus conferantur; ac prouisiones huiusmodi plenum effectum consequantur. Ad hæc liceat Episcopo, presentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat; ab Episcopo tamen, iuxta aliâs statuta ab hac sancta Synodo, examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit & inanis. Patroni autem beneficiorum, cuiuscumque Ordinis & dignitatis, etiamsi Communitates, Vniuersitates, Collegia quæcumque Clericorum vel laicorum existant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi verè de iure patronatus ipsorum ex fundatione & dotatione essent, nullatenus, nullâve causâ vel occasione se ingerant; sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum ius patronatus transferre præsumant: si secus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subiciantur, & dicto iure patronatus ipso iure priuati existant. Insuper accessiones, per viam vniõis factæ de beneficijs liberis, ad ecclesias iuris patronatus, etiam laicorum, subiectas, tam ad parochiales, quàm ad alia quæcumque beneficia, etiam simplicia, seu dignitates vel hospitalia, ita vt prædicta beneficia libera eiusdem nature cum ijs, quibuscum vniuntur, efficiantur, atque sub iure patronatus constituentur; hæc si nondum plerum sortitæ sunt effectum, vel deinceps ad cuiusuis instantiam fient, quacumque

1563. cumque auctoritate, etiam Apostolica, concessa fuerint, simul cum unionibus ipsis per surreptionem obtenta intelligantur: non obstante quacumque in ijs verborum formâ, seu derogatione, qua habeatur pro expressa: nec executioni amplius demandentur; sed beneficia ipsa unita cum vacauerint, liberè, ut antea, conferantur. Quæ verò à quadraginta annis citrà facta, effectum & plenam incorporationem sunt consecuta; hæc nihilominus ab Ordinarijs, tamquam à Sede Apostolica delegatis, reuideantur, & examinentur: ac quæ per surreptionem vel obreptionem obtenta fuerint, simul cum unionibus irrita declarentur, ac beneficia ipsa separentur, & alijs conferantur. Similiter quoque patronatus quicumque in ecclesijs, & quibuscumque alijs beneficijs, etiam dignitatibus antea liberis, acquisiti à quadraginta annis citrà, & in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex noua constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, ab iisdem Ordinarijs, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus aut priuilegijs impediuntur, diligenter cognoscantur: & quos non repererint ob maximè euidentem Ecclesiæ, vel beneficij, seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum reuocent; atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium, & restituto patronis eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant: non obstantibus priuilegijs, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

X. Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeò haberi non potest; hincq; interdum iudicibus, non undequaque idoneis, causæ in partibus delegantur: statuit sancta Synodus, in singulis Concilijs provincialibus, aut diæcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, iuxta Constitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit, Statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, ijs etiam posthac causæ ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituatur Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum usque ad futuram prouincialem, aut diæcesanam Synodum: ita ut habeat quæque diæcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas; quibus huiusmodi causæ à quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum iudicum alijs, quàm his factæ, surreptitiæ censeantur. Admonet dehinc sancta Synodus tam Ordinarios, quàm alios quoscumque iudices, ut terminandis causis, quantâ fieri poterit breuitate, studeant; ac litigatorum artibus, seu

in litis contestatione, seu alia parte iudicij differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti aliâ ratione occurrant. 1563.

XI. Magnam ecclesiis perniciem asserre solet, cùm earum bona, representatâ pecuniâ, in successorum præiudicium alijs locantur. Omnes igitur he locationes, si anticipatis solutionibus fient, nullatenus in præiudicium successorum valide intelligantur: quocumque indulto aut priuilegio non obstante: nec huiusmodi locationes in Romana curia, vel extra eam confirmantur. Non liceat etiam, iurisdictiones ecclesiasticas, seu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per se aut alios ea exercere: aliterq; concessiones, etiam à Sede Apostolica factæ, surreptitiæ censeantur. Locationes verò rerum ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolicâ confirmatas, sancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citrà, ad longum tempus, seu, ut in nonnullis partibus, ad viginti nouem, seu bis viginti nouem annos, vocant factas: Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Ecclesiæ, & contra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicabunt.

XII. Non sunt ferendi, qui varijs artibus decimas, ecclesiis obuenientes, subtrahere moliantur; aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt: cùm decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscumque alijs ecclesijs, vel personis, quibus legitime debentur, integre persoluant. Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absoluantur. Hortatur dehinc omnes & singulos pro Christiana charitate, debitoq; erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis & Parochis, qui tenuioribus præsumt ecclesijs, largè subuenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

XIII. Decernit sancta Synodus, ut quibuscumque in locis iam ante annos quadraginta, Quarta, que funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocumque priuilegio, alijs monasterijs, hospitalibus, aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem posthac integro iure, & eadem portione, que antea solebat, cathedrali, seu parochiali ecclesiæ persoluantur: non obstantibus concessionibus, gratijs, priuilegijs, etiam Mari magno nuncupatis, aut alijs quibuscumque.

XIV. Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se diuino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitie sordibus, immundoq; concubinato versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoq;

1563. Clericalis militiæ dedecore testatur. Vt igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ reuocentur; populusque hinc eos magis discat reuereri, quo illos vitâ honestiores cognouerit: prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum ijs ullam consuetudinem habere audeant: alioquin penis à sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis, puniantur. Quod si à Superioribus moniti, ab ijs se non abstinerint, tertiâ parte fructuum obuentionum ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum, ipso facto sint priuati: quæ fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia femina, perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam vti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur; & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus, ac officijs, & pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum ijs ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat: supradictorumque omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura iudicij, & solâ facti veritate inspectâ, procedere possint. Clerici verò beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsve modis, iuxta sacros Canones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinerint; & à Synodo prouinciali admoniti, se non emendauerint, ipso facto sint suspensi: & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur; qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat.

XV. Vt paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maximè puritas sanctitatisq; decet, longissimè arceatur, non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesijs, vbi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam

etiam dissimile, beneficium obtinere; nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. Quod si in presenti pater & filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiantur; cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium: aliàs ipso iure eo priuatus existat, & super ijs quæcumque dispensatio surreptitia censeatur. Ad hæc, reciproca resignationes, si quæ posthac à parentibus Clericis in fauorem filiorum fient, vt alter alterius beneficium consequatur; in fraudem huius decreti, & canonicarum Sanctionum factæ omnino censeantur: nec collationes secutæ, vigore huiusmodi resignationis, seu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis Clericorum fideijs suffragentur.

XVI. Statuit sancta Synodus, vt ecclesiastica beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignatâ Vicario perpetuò congruâ portione, non conuertantur: non obstantibus quibuscumque gratijs, quæ suum plenarium effectum non sunt consecuta. In ijs verò, in quibus contra earum institutionem seu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiamsi in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum, Vicario, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimum, & ad minus intra annum à fine presentis Concilij, arbitrio Ordinarij, iuxta formam decreti sub sel. rec. Paulo III. assignentur. Quod si id commodè fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non erit: cum primùm per cessum vel decessum Vicarij, seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicaria nomen cesset, & in antiquum statum restituatur.

XVII. Non potest sancta Synodus non grauitè dolere, audiens Episcopos aliquos, sui status oblitos, Pontificiam dignitatè non leuiter dehonoreare; qui cum Regum ministris, Regulis & Baronibus, in Ecclesia & extra indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris, nimis indignè non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inferuunt. Quare, hæc & similia detestans sancta Synodus, sacros Canones omnes, Conciliaq; generalia, atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorum, & grauitatem pertinentes renouando, præcipit, vt ab huiusmodi in posterum Episcopi se abstineant; mandans eisdem, vt tam in Ecclesia, quàm foris suum gradum & Ordinem præ oculis habentes, vbique se Patres & Pastores esse meminerint; reliquis verò tam Principibus, quàm ceteris omnibus, vt eos paterno honore ac debitâ reuerentiâ prosequantur.

1563.

XVIII. Sicuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, euenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem soluere, exemplèq; potius, quàm certo personarum, rerumq; delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant vniuersi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistinctè obseruandos. Quod si vrgens iustaq; ratio, & maior quandoque utilitas postulauerit, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinet, erui præstandum: aliterque facta dispensatio, surreptitia censetur.

XIX. Detestabilis duellorum vsus, fabricante diabolo, introductus, ut cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad monachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione & dominio ciuitatis, castri aut loci, in quo, vel apud quem duellam fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur; & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetue infamiae penam incurrant; & ut homicide, iuxta sacros Canones puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in iure quàm facto dederint; aut aliâ quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetue maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque priuilegio, seu prauâ consuetudine, etiam immemorabili.

XX. Cupiens sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solùm restitui, sed etiam perpetuò sartam tectam à quibuscumque impedimentis conseruari; præter ea, quæ de Ecclesiasticis personis constituit, seculares quoque Principes officij sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut Catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiæq; protectores esse voluit, ius suum Ecclesiæ restitui, non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & superiores Ordines reuerentiam reuocatos, nec permissuros, ut officiales, aut inferiores magistratus, Ecclesiæ & personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliquâ violenter; sed unâ cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus obseruantiam præsentent. Decernit itaque & præcipit, sacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones, in fauorem ecclesiasticarum personarum, liber-

tatis

Historia
Concilij Tru
Pars III
SIV

tatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia presenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere. Proptereaq; admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, & omnes, & singulos, cuiuscumque status & dignitatis extiterint, ut, quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quæ ecclesiastici iuris sunt, tamquam Dei præcipua, eiusq; patrocinio tecta, venerentur, nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijsve dominis temporalibus, seu magistratibus, maximeq; ministris ipsorum Principum, ledi patiantur; sed seuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, ecclesiarumq; protectionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ suæ in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoq; ea in re quisque officium suum sedulo præstet: qua cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati, ceteriq; Clerici in residentijs, & officijs suis, quieti, & sine impedimentis, cum fructu, & adificatione populi, permanere valeant.

XXI. Patrem sancta Synodus, omnia & singula, sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub Fel. rec. Paulo III. ac Iulio III. quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salua semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.

- 2 De his quæ propofita sunt, mirus fuit consensus. Solùm declaratio in fine posita, duobus non placuit: alter enim diuersas voces earum loco postulabat; alter eam esse superuacaneam opponebat, quippe suâ naturâ in omni Decreto intellectam, & idcirco in præteritis Concilijs haud vsurpatam. Duo pariter improbarunt Decretum vigesimum de Principibus, tamquam inefficax, & speciosus tantummodò verbis contextum.
- 3 Recitatum postea, & acceptum fuit Decretum, in quo dicebatur, cum tardior esset hora, adeoque expediri non possent eo die res omnes stabilitæ, opus in diem posterum protogari, sicut in cœtu generali decretum fuerat: tum consuetus hymnus in Dei laudem decantatus est ad grates ipsi reddendas, cum penè tangeretur meta, adeoque palma: arbor nimirum, cuius fructus quàm dulces, tam serimaturefcunt; sed qui in hac palmarum classe etiam prius, quàm decerpantur, palato sapiunt.